

hinc passibus demortuæ urbeculæ jacet cadaver jam fere absumptum. Verustatem autem & conditores Romanorum numismata, & lateres illi quibus usi erant Romani contestantur. *Bery* quasi *Burgum* vocitant vicini & Arthurianis temporibus celeberrimam fuisse prædicant.

Morton
Corbet.

Inde ad eundem flu. *Morton Corbet* castrum *Corbettorum* conspicitur, ubi nostra memoria *Rob. Corbet* Architecturæ studio abreptus splendida magnificentia ædes inchoavit, ut latius & cultius habitaret, cum statim mors hinc demigrare, & opere imperfectum relinquere jussit. *Corbet* hi antiquæ sunt in hoc agro nobilitatis & latifundia multa jure clientelari à *Rogero Montegomerico* hujus agri Comite sub ingressum Normanorum tenuerunt, *Rogerus*, sc. filius *Corbet* tenuit

Corbet
præno-
men.

Huelebec, *Hundeslit*, *Actun*, *Fernleg*, &c. *Robertus* filius *Corbet* in *Vlestanston*, *Rotlinghop*, *Branten*, *Vdecot*. Magis ad Austrum jacet *Arroll*, equestris familia *Newportorum* habitatio, & huic vicinum *Hamond* monasterium, quod *Fitz-Alani* si non fundarunt, maxime tamen dotarunt. Haud multo inferius ad *Sabrinam* amœnissime affidet hujus agri urbs longe clarissima ex antiqui *Vriconii* occasu exorta, quam nos *Shrewsbury*, & *Shrewsbury* hodie emollito vocabulo dicimus, cum majores *Scrobberbyrig* vocaverint, quod collis fuerat arboribus condensus. Quo sensu & Græci suam *Bessam*, & Britanni hanc urbem etiam *Pengwerne*, id est, *Caput alneti*, quo nomine hic etiam fuit nobile Palatium ejusdem nominis. Sed unde nunc illis *Ymwithig*, & Normannis *Scropesbery*, *Sloppebury*, & *Salop*, Latinoque nomine *Salopia*, vocatur, plane me latet, nisi ab antiquo nomine *Scrobberberig* varie luxato. *Ymwithig* tamen nonnulli Britannicæ linguæ periti dictam credunt quasi *Placentiam*, à Britannica dictione *Mwithau*, Bardosque ita nominasse, quod præ cæteris olim Walliæ Principibus placeret. Collem occupat subrufescentem, Sabrinaque duobus pontibus pulcherrimis pervius, se fere in circulum ducens ita incingit, ut Isthmo per exiguo debeat, quod non sit insula. Vnde Poëta noster Antiquarius *Lelandus*:

Lelandus.

*Edita Pengwerne late fastigia splendent,
Urbs sita lunato veluti mediamnis in orbe,
Colle tumet modico, duplici quoque ponte superbit,
Accipiens patria sibi lingua nomen ab alnis.*

Nec natura solum munita, sed etiam arte. *Rogerus* enim de *Montegomerico*, cui *Conquestoris* dono obtigerat, surgenti rupi, qua *Boream* spectat, dirutis quinquaginta plus minus ædibus castrum inædificavit, & *Robertus* ejus filius cum ab *Henrico* Primo descisceret, mœnibus obvallavit, qua flumine non defenditur, quæ tamen vim hostilem nunquam, quod sciam, nisi bello Baronico contra Regem *Ioannem* pertulerunt. Primis Normannorum temporibus satis culta, & frequens erat, ut enim in libro *Angliæ Censuali* legimus, reddebat per annum *vii* libras, & *xvi* solidos de *Gablo*, *cclii* cives censebantur, è quibus duodecim apud *Angliæ* reges excubare, cum in hac urbe agerent, totidemque concomitari cum venatum prodirent, tenebantur. Quod institutum crediderim, quia non multos ante annos *Edricus Streona*, Dux Merciorum, vir omnibus sceleribus notatissimus *Afhelmum* Princi-

pem hic inter venandum ex insidiis sustulisset. Quo tempore (ut innuit ille liber) consuetudo invaluit hac in urbe, ut mulier accipiens quocumque modo maritum, si vidua erat, dabat Regi *xx* solidos, si puella decem solidos, quolibet modo acciperet virum. Cæterum, ut ad rem revertar, non tantum muni-

mentis Comes ille *Rogerus*, verum etiam aliis ædificiis cum publicis, tum privatis instauravit, Monasteriumque *S. Petro*, & *Paulo* posuit pulcherrimum, cui plures possessiones concessit, & una cum illis Ecclesiam *S. Gregorii*, eo scilicet tenore (ex privata Monasterii historia loquor) ut cum *Canonici*, qui in ea Præbendas habebant, morte deficerent, Præbenda in dominium monachorum devenirent. Vnde controversia orta est non parva, *Canonicorum* enim filii litem monachis intenderunt, ut in paternis Præbendis succederent. Eo enim tempore *Canonici*, & *Sacerdotes* in *Anglia* cœlibem vitam non egerunt, & inoleverat usus, ut beneficia Ecclesiastica cognationis jure hæreditario descenderent. Sed hæc controversia sub *Henrico* Primo composita, in beneficiis Ecclesiasticis hæredem non debere succedere, & leges de *Sacerdotum cœlibatu* sub id tempus rogatæ. Subsequente tempore alia etiam hic surrexerunt templa, nam ut *Dominicanorum*, *Franciscanorum*, *Augustinensium* fratrum cœnobia omittam, quæ *Charltoni*, *Ienevilli*, & *Staffordi* posuerunt, duæ collegiatæ Ecclesiæ, altera *S. Ceadæ* cum *Decano* & *x* Præbendariis, altera *Beatæ Mariæ* cum *Decano* itidem & *ix* Præbendariis, erectæ erant. Hodie vero urbs est eximia, frequens, mercium copiosa, civium diligentia, pannis conficiendis, & *Wallo-*rum commerciis opulenta. Huc enim omnes fere *Walliæ* commoditates, quasi ad commune utriusque gentis emporium conflunt: à *Wallis* enim & *Anglis* incolitur, quibus utraque lingua in usu, & quibus inter alia, hoc in maximam laudem cessit, quod scholam erudiendis pueris totius *Angliæ* numerosissimam instituerint, cui *Minerval* honestissimum *Thomas Aston* primus *Scholarcha* vir optimus, & integerrimus sua opera comparavit. Ad hanc urbem, quum *Henricus Percius* junior seditiosum animum in *Henricum Quartum* induisset, & jam mœnia oppugnaturus esset, quæ ille omni ratione constituerat, potentior fortuna subito discussit. Rex enim ex improvise à tergo cum exercitu instabat, in quem juvenis animose invecus post longam & difficilem pugnam, desperata victoria, in destinatam mortem ruit. Locum vero adhuc *Battlefield* à prælio vocant, in quo facellum, & unum alterumque sacerdotem Rex victor instituit, ad impetrandam illo prælio occisis peccatorum remissionem. Ab *Aforiis* insulis gradibus *xx*, minutis *xxxvii*; ab *Æquatore* partibus *lxxii*, scrupulis *lxxxiii* distat hæc *Salopia*.

Ex hac urbe (nescio an operæ pretium & ad nostrum institutum videatur meminisse) postremo erupit anno *Salutis* *MDLxi* lætifer ille morbus, sudor *Anglicus*, qui statim toto regno grassatus magnam stragem, hominum præcipue consistente ætate edidit; sudore enim correpti die naturali vertenti aut perierunt, aut convaluerunt. Remedium autem præfens inventum, ut qui sudore interdum correpti, in vestibis protinus cubitum irent, sin noctu, & in lecto, quiescerent

Præbenda
hæredita-
rio clata.

1401.
Prælium
apud
Shrewf-
bury.

Battle-
field.

Sudor Bri-
tannicus,
Sweating
sickness.